



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XIII. Vtrum intentio ministri de seria executione externa sufficiat ad
valorem sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

illud ad Cor. 11. 26. circa Eucharistiam: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: id est dum durat status viatoris, & illud Iac. 5. 14. circa extremam unctionem: *inducat presbyteros Ecclesia, & rursus: oratio fidei saluabit infirmum*. Vbi exigitur minister, qui sit presbyter Ecclesiae militantis, & capax fidei, cuiusmodi est solus viator. Eodem pertinet, ut subiungit Meracius, paritas ex potestate offerendi sacrificia, quam solis viatoribus collatam esse colligitur ex 5. ad Hebraeos 2. Praemisso enim Pontifice potente offerre sacrificia, haec eius additur conditio; *Qui condolere possit illis, qui ignorant, & errant; quoniam, & ipse circumdatus est infirmitate*. Quod soli conuenit viatori. Eadem autem est ratio de sacramentis; quae videlicet pro iisdem instituta sunt, pro quibus, & sacrificia.

Art. 3. Iam verò nullus vtriusvis sexus viator, dummodò sit rationis compos, quam conditionem manifestè praefereunt superiora omnia testimonia, & natura ipsa rei: Nullus inquam excluditur ab administratione omnium penitus sacramentorum; licet pro aliquibus peculiare praeterea conditiones requirantur, de quibus dicitur circa sacramenta in particulari. Igitur iuxta praesentem institutionem, & ex natura rei omnis, & solus viator, est idoneus minister sacramentorum secundum communem, & genericam rationem sacramenti.

Ad 1. Pro aequali potestate circa effectus morales pendentes ab alterius voluntate, & commissione non sufficit potestas aequalis ad easdem omnes actiones physicas. Sacramenta autem sunt effectus morales, & eorum minister pendet à voluntate, & commissione Dei.

Ad 2. Supponitur à Nicephoro eam consecrationem fuisse factam inuisibiliter, ac insensibiliter. Quare nullum ibi interuenit sacramentum formaliter, sed tantum aequiuenter, & quoad sacramenti effectum. Deinde ut sacramentum etiam formaliter interuenisset ex vi institutionis, & commissionis vniuersalis reuelatae toti Ecclesiae, sed ex noua institutione, & commissione speciali facta à Deo per prouidentiam extraordinariam determinatè pro illo euentu. Quod nihil probat contra conclusionem; quae videlicet procedit de ministro ordinario habente facultatem ex vi praesentis institutionis, quatenus manifestata vniuersaliter Ecclesiae. Altero ex his duobus modis exponenda sunt etiam haec historiae, quae insinuantur in tertio. Et vniuersim conclusiones Theologicae habentes fundamentum in doctrina Ecclesiae reuelata, non sunt statuenda iuxta historicas narrationes auctorum particularium, sed haec potius sunt accipiendae, ac diiudicandae iuxta illas.

Ad 3. Iam apparuit in testimoniis sacris fundamentum excludendi Beatos, eosdemque, licet possint concipere, & exercere eandem physicè intentionem, & actiones, quas possunt viatores, non tamen possunt easdem moraliter, & quoad effectus morales.

Ad 4. Homo rediuius retinet, sicut si mortuus non fuisset, quae sibi ante mortem inerant dependenter à sola voluntate Dei, cuius nimirum intuitus, & intentio complectuntur aequaliter omnes temporis differentias, & calius; licet non retineat, quae inerant cum aliqua immediata dependentia à voluntate hominis; cuius videlicet intentioni quoad ea, quae vitam hominis respiciunt, ita mors limites praescribit, atque si possibilis nullatenus esset reditus ad vitam. Datur enim hominibus mutua facultas circa res eiusmodi sibi connaturali, ideòque deuincta soli durationi ipsorum naturaliter contingenti. Quapropter redit cum vita potestas perficiendi, ac ministrandi sacramenta, & iurisdictio, seu quasi iurisdictio, quae inerat ante mortem dependenter à sola voluntate diuina instituentem eadem sacramenta; licet non redeat iurisdic-

ctio, & potestas connexa cum iurisditione, quae inerat cum dependentia à voluntate etiam, & intentione humana. Cognita porrò ista ratione differentiae in genere facile cuius, ac obuium est deducere conlequentias circa singula.

Ad 5. Quoad primam partem; viator non intelligitur in conclusione, ut patet ex eius fundamentis, qui talis sit solum negatiue, & passiuè, id est non habens finem suum, & potens habere per actionem alterius; sed positiuè, & actiuè, id est potens tendere ad finem suum per proprios actus, ideòque compos rationis. Quoad alteram partem certum est ex fide sacramentum posse validè perfici à peccatore, & immundo, ut constat ex Tridentino sess. 7. can. 12. de sacramentis, & tueretur Bellarminus, Suarez, & alij in praesentia. Quare locus Ecclesiastici accipiendus est de mundatione ex opere operantis, & per se, non ex opere operato, & per sacramentum, in quo diuina virtus secretius operatur. Vel dicatur à *ab immundo*, esse ibi neutrius generis pro re immunda. Iam qui aliquid non habet, potest nihilominus illud dare, ut minister habentis; & sic dat gratiam minister perficiens sacramentum. Est enim in ea re minister Dei, qui est principalis auctor gratiae.

Q V A E S T I O XIII.

Utrum intentio ministri de seria exequutione externa sufficiat ad valorem sacramenti.

V Idetur sufficere. 1. Quia ad valorem contractuum & cuiusvis alterius actus legitimi, sufficit si exterius haec actiones praestentur seriò, quae pro illis perficiendis praescribuntur; tamen si fiant ficto animo, dummodò fictio sit purè interna. Ergò idem etiam sufficit ad valorem sacramenti; quandoquidem committitur homini humano modo perficiendum, & per quendam quasi contractum de conferenda gratia quoties tales actiones sensibiles exhibitae fuerint.

2. Ad existentiam cuiusque effectus pendens ab aliqua conditione, & tantum voluntates, & actiones requiruntur, quae sufficiunt ad ponendam conditionem, eaque posita ad ponendum effectum. Gratia autem, quae per sacramenta confertur, pendet tanquam à conditione ab exteriori materia, & forma exhibitione, quae solae sunt sensibiles, atque ad positionem istarum sufficit voluntas ministri terminata ad ipsas secundum se, eisque positis sufficit similiter sola Dei voluntas ad ponendam gratiam. Ergò nulla alia specialis intentio requiritur ex parte ministri.

3. Si adhibitis materia, & forma, omnibusque actionibus exterioribus requisitis ad perficiendum sacramentum; fieri nihilominus posset, ut illud euaderet nullum, eiusque effectus suspenderetur ob defectum alicuius specialis intentionis purè internae ex parte ministri; nemo posset vnquam esse certus de sacramento re ipsa validè suscepto, & de gratia per ipsum obtenta. Quod est magnum inconueniens, utpote auferens consolationem fidelium, cuius intuitu instituta sunt sacramenta; ipsamque rationem sacramenti, quae consistit in collationis gratiae sensibilitate, repugnante, ut pater, dependentiae eiusdem gratiae ab aliquo purè interno, & nullatenus apparente exterius.

4. Baptismus ab Athanasio puero pueris alijs administratus per iocum, approbatus fuit ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, & S. Ginesius recipiens baptismum in theatro mimice, & ad contemptum Ecclesiae catholicae, commonitus fuit ab Angelo de efficacia illius aquae ad remissionem peccatorum, atque per ipsam iustificatus de facto fuit; ut referunt ex probatis auctor

auctoribus Ægidius Conink, Cardinalis de Lugo, & alij in præfenti, & quod caput est, August. lib. 7. de baptismo contra Donatistas c. 3. ad modum pronuntiat verum eos habere baptismum, qui fallaciter datum, fallaciter accepere. Ergo sufficit ad valorem sacramenti qualiscunque voluntas, ac intentio ministri terminata ad actiones exteriores secundum se præcisè: & nequidem hoc requiritur, ut externa serietas executionis intendatur.

Art. 1. Respondetur. Certum est ex fide ad valorem sacramenti requiri ex parte ministri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Sic enim expressè definit Concilium Tridentinum sess. 7. c. 11. de Sacramentis. Eodem pertinet decretum Florentini productum q. 3. art. 2. Manifestum autem est hunc modum describendi intentionem, quæ necessaria est in ministro complecti necessariò aliquam specialem voluntatem, ultra eam, quæ siue serio, siue per iocum feratur in prolationem verborum, & exhibitionem materia, ut sunt in se præcisè secundum suas entitates, & prædicata purè naturalia. Hæc enim sunt eatenus manifestiora, quam ut exponi deberent per id, quod facit Ecclesia, tanquam per prædicatum conuertibile notius. Indignum deinde est a Concilio generali, speciali canone, definiri hominem præsertim compotem rationis, ut faciat aliquid in sua præcisè actione exteriori consistens, indigere intentione ipsi secundum se faciendi. Constat denique ex Bellarmino, & aliis eo canone damnari Lutherum minime negantem necessitatem intentionis earum actionum secundum se, sed cuiusquam præterea alterius specialis, quam adesse Ecclesiæ supponitur à Concilio.

Art. 2. Ratio eius apud vtrumque Concilium decisionis est. Quia ad valorem sacramenti requiritur ea, ut minimum perficiens intentio, quæ necessaria est ad verificandam significationem verborum, & actionum, quas exercet. Cum enim sacramenta operentur significando, & quatenus significant, si significatio sit falsa, operatio erit nulla. Præterea sacramenta non possunt perfici ab homine, nisi quatenus est minister Dei, & nomine Dei operatur. Nequit autem operari, ut talis, dum mentitur, quia Deus nemini committit, ut mentiatur, ideoque mendacium nequit proferri à ministro Dei operante, ut minister eius est, & eius nomine, exque eiusdem commissione; ex qua tamen sacramentum perficitur, & perfici valide non potest, nisi dependenter ab ea. Significatio autem verborum, & actionum sacramentalium verificari non potest, si non detur in ministro, nisi sola intentio executionis exterioris secundum se, siue ludicrè ea, siue seriò intendatur. Quia verba sacramentalia, & actiones illis adiunctæ significant effectum sacramenti, quatenus pendentes, & procedentes ab eius ministro, non ut à puro exequutore actionum exteriorum, sed insuper, ut à causa voluntariè, & liberè illum conferente per peculiarem propriam potestatem.

Art. 3. Quod quidem in sacramento poenitentiae est perquam manifestum. Hæc enim verba; *Ego te absolvo*: non solum naturaliter significant loquentem, esse auctorem, & exequutorem eorum, & habere voluntatem ea exequendi; sed insuper significant ad placitum eundem dare effectum liberationis à peccatis, & habere veram efficacem voluntatem intentionem, & inductiuam talis effectus. Ergo si minister solum habeat voluntatem, ac intentionem ea verba proferendi, & nihil amplius; eorum significatio non poterit evadere vera. Obseruatum hoc, & luculenter declaratum est à Trident. sess. 14. c. 6. de poenit. sub finem. *Quamvis ait absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice*

sententia pronuntiat; atque ideo non debet poenitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si, illi nulla adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit, putet tamen se, propter solam suam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum. Vnde optime deducitur sine animo seriò agendi, ac absolvendi non sequi veram, coram Deo, absolutionem. Quia sententia veluti à iudice pronuntiat, verbo vtrique significante adesse voluntatem absolutoriam veluti iudicis. Idem apparet in forma baptismi: *Ego te baptizo*. Hoc enim verum esse non potest, si dicenti non adsit animus inducendi, quantum est ex se effectum mundationis. Eadem est ratio de reliquis sacramentis, deque eorum significatione, ex vi institutionis divinæ; atque de matrimonio præsertim res est clarissima.

Art. 4. Ultima resolutio huius discursus, & conclusionis est in testimonia, quibus questione præcedenti constitit de ministro idoneo ex vi præsentis institutionis. Inde enim apparet istud ministerium non esse puræ executionis, quale est ministerium tabellionis, aut præconis intimantis, seu legem, seu sententiam Principis; sed veræ cooperationis, & causalitatis moralis, complementis ultimò, accessione liberæ voluntatis auctoritativæ, causam adequatam effectus intenti à superiore, atque ab eodem commissi arbitrio inferioris; quale est ministerium procuratoris ad contractus, aliòque actus legitimos translationis dominij, & rerum. Hoc enim significat illud: *quorum remisit peccata, & similia.* Eodem pertinent testimonia iam ante expensa 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & 2. ad Cor. 2. *Quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi donavi.* Quæ & similia eum in scopum pronuntiat Apostolus, ut concludat reuerentiam, quæ maxima esse debet erga ministros Dei, iuxta illud ad Galat. 4. 14. *Sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Iesum Christum.* Dimittere autem peccata, dispensare mysteria Dei, donare munera gratiæ, & tanta propterea suscipiendus reuerentia, non potest propriè, & absolute dici minister puræ executionis exterioris, in quo solum desideratur voluntas aliquid exterius, utcumque præstandi, & non etiam, ut interiori consensu, & intentione speciali, circa effectum per actionem exteriorem obtinendum, valorem huic impertiat in ordine ad illum inducendum.

Art. 5. Certum igitur est in ministro sacramentorum requiri pro eorum valore intentionem specialem circa ipsorum effectum, ultra voluntatem, siue per iocum, siue etiam seriò exequendi actiones exteriores præcisè secundum entitatem, & prædicata ipsarum purè naturalia; atque oppositum huius, quoad sufficientiam quidem intentionis exequendi præcisè actiones exteriores, etiam localiter, & cum fictione exte-
rius, manifesta est hæresis Lutheri manifestè damnata, ut iam apparuit à Concilio Tridentino, Quoad sufficientiam verò intentionis seriò faciendi, quod facit Ecclesia, non absolute, ut dicit Concilium, tum Florentinum, tum Tridentinum, sed cum hac limitatione, *exterius*, absque alia ulterius intentione, aut etiam cum alia simul intentione non faciendi validum sacramentum, nec inducendi eius effectum; licet sit sententia Catharini, Paludani, atque ut videtur, Salmeronis, aliorumque quorundam; non tamen videtur satis tuta ob ea, quæ dicta sunt, uti merito censent Cardinalis de Lugo, Meracius, Tannerus, & alij in præfenti.

Art. 1. Ad 1. Negatur in primis antecedens, quia dominia rerum transferibilia per contractus acquiruntur, & conservantur interna voluntate illas habendi ut suas, cooperante lege, ut dictum est questione 3. de iustitia. Vnde non amittuntur, nec trans-

feruntur

310 Liber X. De Sacramentis in genere.

feruntur, dum perseverat eadem voluntas, nec succedit voluntas, ac intentio contraria, quæcunque demum alia voluntas, aut actiones exteriores interueniant; nisi lex, in penam fraudis, & ob communem pacem, ac tranquillitatem, suppleat sua dispositione nullitatem contractus, præstetque per se ipsam effectum translationis dominij, quem præstare debuisset voluntas contrahentis conformis verbis, & inde dependens valor contractus.

Art. 2. Distinguitur deinde antecedens, eoque transmissio quoad contractus utrinque onerosos, negatur quoad contractus, seu quasi contractus liberalis donationis. Quia de liberali donatione nemo, aut vix ullus dubitat, quin valida esse non possit absque vera interna donatione donandi superaddita à donante indiciis eius externis. Omnis lex, iusque ipsum naturæ fauet liberæ cuiusque voluntati circa res suas, saltem dum neminem lædit iniuste; esto peccet contra veracitatem, aut fidelitatem mentiendo. Donatio autem gratiæ per sacramenta est absolute liberalis, & gratiosa ex parte Dei, & consequenter ex parte ministri, quatenus operantis nomine Dei, & comparatione suscipientis sacramentum. Distinguitur rursus idem antecedens, & dato valore donationem exterius manifestatam per procuratorem absque interno eiusdem consensu, quando eadem valitura foret facta eodem modo à delegante ipso per se, immediate negatur valere posse talem donationem per procuratorem, si eius principalis nullam talem donationem facere possit immediate per se ipsum, aut valitura non foret facta immediate per eundem. Quia procurator sicut vices subit sui principalis, ita & condiciones induit eiusdem, dum operatur, ut procurator, & quatenus respicit actionem & effectum actionis sibi commissum. Minister autem sacramentorum est procurator Dei, cuius constat nullam externam donationem, aut esse simpliciter, aut validam esse posse absque vera interna intentione donandi. Quia fallere non potest, & omnia essentialiter pendunt immediate, & non tantum mediate ab eius, circa vnumquodque reali voluntate, ac intentione.

Art. 3. Transeat denique antecessus de contractibus & quasi contractibus utrinque humanis, & negatur consequentia. Discrimen est, quia licet inter homines verba significantia consensum internum, etiam dum is re ipsa non adest, possent loco consensu haberi, & perinde valere se solis, atque coniuncta cum reali interno consensu, quia homines non possunt ad internam animi dispositionem, cognitione vicissim peruadere; ideoque oportuisset, ut nulla interni consensu re ipsa existentis, vel non existentis, ratio haberetur; utque Deus, utens providentia humanæ conditioni accommodata, voluisset lege sua mutuas hominum obligationes inducere dependenter à solis signis externis liberè exhibitis ab ipsis quoad ea, in quibus operarentur nomine proprio, aut alterius hominis, alia tamen longè ratio est de Deo, & homine inuicem comparatis, necnon de homine agente nomine Dei, & circa rem, aut actionem, ita propriam Dei, ut nullius hominis sit propria, nec eius voluntati principaliter subiecta. Patet namque Deo cor hominis, & ad interna immediate peruadit eius cognitio, iuxta illud 1. Reg. 15. 17. *Dominus autem inuenerit cor*; ideoque apud ipsum non potest habere locum æquivalentia exterioris significationis, & interioris voluntatis; aut fictio iuris vtriusvis perinde valere iubens. Quia de causa verba significantia votum internum directam ad solum Deum nullam inducunt obligationem, nisi adsit re ipsa interior intentio, ac voluntas se obligandi; idque est indubitatum apud omnes. Eadem igitur de causa minister sacramenti, ad quem pertinet determinare Deum, actione, & vo-

luntate sua, ad conferendam gratiam, quæ est donum ipsius Dei, nihil efficit, nullamque inducet obligationem, seu quasi obligationem, ac determinationem Dei ad illam conferendam, si non adsit interna voluntas faciendi, quod dicit. Quia Deus inructur cor, eiusque rationem habet quoad ea, quorum præstatio spectat ad ipsum secundum se.

Ad 2. Iam constitit, ministrum sacramentorum non esse ministrum puræ executionis externæ, vel instrumentum inanimatum, sed esse cooperatorem liberum Dei, & eius Vicarium, ac procuratorem. Quapropter ad sacramentalem collationem gratiæ, non habent rationem conditionis, sine qua non, seu potius concausæ instrumentalis, actiones exteriores, & voluntas eas secundum se præstandi, sed prout coniunctæ cum voluntate, ac intentione præstandi effectum ipsum gratiæ sacramentalis.

Art. 1. Ad 3. Incertitudo aliqua de obtenta gratia habetur etiam de ea, quæ obtinetur ab vnoquoque per solos suos actus. Nunquam enim certus omnino esse potest, exercitos eos fuisse, prout oportet, & sufficit ad obtinendam gratiam. Quid igitur mirum si adsit eadem incertitudo circa gratiam obtinendam dependenter ab alterius, & sua simul operatione, ac dispositione? Deinde sicut potest minister suspendere interius intentionem conferendi gratiam, & faciendi validum sacramentum; ita etiam facile potest addere exterius, vel detrudere vnam, aut plures syllabas mutantes sensum verborum, quin id consiciat, qui suscipit sacramentum; ideoque is non poterit esse omnino certus, saltem ut plurimum de effectu sacramenti sequuto, seu non petito per ministrum, tamen si ponatur, nullam eiusdem specialem intentionem esse necessariam.

Art. 2. Immo, quia ut habetur Eccles. 9. 1. *Nescit homo, virum amore, an odio dignus sit*; atque huius ratio, ut ibidem mox adiungitur, est *eo quod vniuersa* (vtique sensibilia, & naturaliter certo cognoscibilia) *æquè eueniunt iusto, & impio; bono, & malo; mundo, & immundo; immolanti victimas, & sacrificia continentem*; atque Prouerb. 28. 14. *Beatus, dicitur, vir, qui semper est pauidus*; eademque incertitudo aperte colligitur ex Tridentino sess. 6. can. 9. à can. 12. de Iustific. atque eam in rem multa fortiter vrget Suarez tom. 3. de gr. lib. 9. capit. 9. & 10. Quia, inquam, hoc ita se habet, ea ipsa de causa certitudinis totalis de obtenta gratia impossibilis haberi in hac vita, iuxta legem ordinariam; dicendum potius est, infusionem gratiæ non esse infallibiliter de iunctam solis secundum se actionibus exterioribus liberè exercitis à ministro, quæ ut sic certo cognoscibiles sunt adhibita diligentia.

Art. 3. Cæterum quoddam certitudinis moralis genus, de suscepta gratia per sacramenta, abundè sufficiens ad maximam fidelium consolationem in eorum frequentatione, haberi potest etiam iuxta nostram sententiam: tum quia probitas ministri sapè fundat specialiter talem certitudinem administrationis cum debita intentione; tum quia vix vquam occurrere potest motuum utilitatis, aut delectationis temporalis, quod ministrum etiam scelestissimum determinare sufficiat ad exercendas actiones sacramentales cum serietate exteriori, quin intendat finem, ob quem instituta sunt sacramenta, & quem intendit Ecclesia; cum ad concipiendam istam intentionem adsit motuum per se maximum peccandi lethali, si eam omittat, & velit ficto animo administrare, atque mentiri.

Ad 4. Propter abundantiam sanguinis sinceri, & vacuitatem prauarum cogitationum, coniunctas cum nimia cerebri humiditate, non solum hilariter, sed cum quadam insuper iocularitatis imperfectione, actiones

actiones exteriores, vt plurimum exercent pueri, etiam eas, quarum vltiorem intelligibilem, ac spirituale effectum verè intendunt, maximeque desiderant; atque ita contigisse credendum est in baptismo Athanasij imitantis ioculariter adultos, simulque verè intendenti quidquid ipsi intenderent, ac perficerent. Iustificatio Sancti Genesij fuit miraculosa, & præter ordinarium prouidentiae modum, nec est ex se credibilior eo loci, & temporis idonea dispositio suscipientis illud baptisma, quam intentio ministri necessaria, Dicatur igitur, vel adfuisse nihilominus vtramque in vtroque ex peculiari Dei instinctu, & motione efficaci, vel Sanctum Genesium iustificatum fuisse, aut tunc per solam contritionem, aut postea per solum Martyrium. Nec enim omnino constat ex historia, vter ex his iustificationis modis interuenerit. Denique August. fallaciter datum, & fallaciter acceptum dicit baptismum, non quod sine vera, minimeque ficta intentione, sed quod sine fide datur, & accipitur, vt liquet clarè ex contextu.

Q V A E S T I O XIV.

Virum intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem sacramenti differant necessario ex parte obiecti?

Videtur, quod non. 1. Quia simplex propositum nullam inducens obligationem, & votum eandem inducens non differunt necessariò ex parte obiecti, ad quod directè feruntur; siquidem vtrumque concipi potest de eodem omnino opere præstando, & ex eodem prorsus motiuo, ac proinde differunt, vel certè differre possent, per solam supra se reflexionem diuersam; quatenus actus, quo simpliciter proponitur aliquid faciendum vult se non esse obligatorium; actus verò, quo idem vouetur, vult se esse obligatorium. Ergò sola simili supra se reflexione sufficienter etiam inter se distinguuntur intentio conferens valorem sacramento, & quæ eundem non confert.

2. Simplex apprehensio, & iudicium ab illa dependens nullam inter se distinctionem fortiri possunt ex diuersitate obiecti ab ipsis distincti. Quia quidquid cognoscitur per iudicium, necessariò supponitur præcognitum per simplicem apprehensionem. Quapropter solum differre possunt ex diuerso modo tendendi, quatenus iudicium repræsentat componendo, aut diuidendo idem obiectum, quod simplex apprehensio repræsentat incomplexè. Ergò intentio sufficiens, & insufficiens ad valorem sacramenti differre solum poterunt ex solo modo tendendi absque vlla obiecti diuersitate.

3. Constat ex quaestione præcedenti intentionem insufficientem terminari posse ad materiam, & formam, & actiones serias circa vtramque. Nullum autem apparet obiectum, quod præter hac adicere, aut debeat, aut possit intentio sufficiens. Nam velle conferre gratiam non est necessarium; tum quia sacramentum potest validè perfici etiam ab infideli nullam habente cognitionem gratiæ supernaturalis, tum quia ad ponendam causam alicuius effectus à parte rei, non est necesse velle formaliter effectum eius, atque sacramentum est causa gratiæ. Nec illud satisfacit præscriptum à Concilijs supra, velle facere, quod facit Ecclesia. Quia nondum liquet, in quo differat ex parte rei, quod facit Ecclesia, ab eo, quod non facit, siue vltra quod facit; siquidem nullum est discrimen quoad exteriora, &

per se sensibilia. Iam velle operari nomine proprio, vel alterius scilicet Dei, aut Christi, quò recurrit Eminentissimus de Lugo, tanquam in terminos notissimos, & nemini ignoratos, obscurum reuera est quoad conceptum metaphysicum, nec facile extricatur cum quiete intellectus, vt apparet ex eodem auctore, disputat. 3. de Incarnation. sect. 5. vbi operose nititur exponere eos terminos. Satiùs igitur est, atque omnino necessarium dicere intentionem sufficientem ad valorem sacramenti, non necessario habere obiectum distinctum ab obiecto, cuius intentionis insufficiens, sed ab ea differre ex solo modo tendendi.

Respondetur. Constat ex quaestione præcedenti, Ministrum sacramenti non posse habere intentionem sufficientem ad eius valorem, nisi habeat sufficientem ad significationem eiusdem verificandam, & rursus sacramento significari gratiam, vt dispensatam, & donatam à ministro sacramenti, tanquam à causa libera, ac voluntariè cooperante ad existentiam gratiæ remittenti peccata, & reconcilianti cum Deo, vel simpliciter, vel secundum augmentum reconciliationis. Pater autem actionem inductiuam alicuius effectus essentialiter, & intrinsecè constitui, per intentionem eiusdem effectus, in ratione dispensationis, & donationis, & liberæ, ac voluntariæ cooperationis; remissionis peccati, & reconciliationis; neque denominari quemquam posse dispensantem, & donantem liberè, ac voluntariè aliquid cooperantem ad existentiam eius, remittentem peccatum, & reconciliantem cum aliquo; nisi hæc omnia verè intendat, nec ea eueniant purè per accidens respectu intentionis eius. Ergò intentio ministri sufficiens ad valorem sacramenti necessario terminatur, vt ad obiectum proprium, non solum ad actiones exteriores circa formam, ac materiam, sed etiam ad gratiam vt inducendam per illas à ministro easdem exercente, quatenus minister Dei est. Ergò intentio sufficiens, & insufficiens differunt necessariò ex parte obiecti distincti realiter ab vtraque nempe intentioni complectenti totum obiectum, quod explicatum, & conclusum modò est necessarium, nihil deesse potest in ratione intentionis, quominus inducat atque constituat validum sacramentum.

Ad 1. Actus inter se similes, quatenus tendunt directè in obiectum distinctum realiter ab ipsis, non possunt euadere dissimiles inter se ratione vllius supra seiplos reflexionis. Quia actus reflectentes supra se comparantur secum, quatenus directè tendunt ad obiectum realiter distinctum ab ipsis, non secus ac comparantur, quatenus directi sunt cum eodem obiecto realiter ab ipsis distincto. Ergò tam impossibile est actus, quatenus reflexos, euadere inter se dissimiles, si supponantur similes inter se, quatenus directi sunt; quam est impossibile, illos esse dissimiles inter se, quatenus directi sunt, si obiecta ab ipsis realiter distincta sunt inter se similia; Nempe, vt reflexiui sunt, feruntur in seiplos, vt directi sunt, atque ex seipso specificantur; sicut feruntur in obiecta realiter distincta, atque ex eisdem specificantur, vt directi sunt. Quare negatur antecedens. Vouens enim vult amissionem vltimi sui finis, seu beatitudinis, si faciat oppositum voti. Vult enim se obligari in conscientia; atque obligari in conscientia consistit formaliter in amissione conditionata vltimi finis. Proponens autem simpliciter, id ipsum non vult, quia non vult se obligare in conscientia; quod idem discrimen redditum, & fusiùs expositum est in quaestione. 21. de act. hum. ab art. 6. circa præceptum, & consilium.

Ad 2. Quod est modus essendi in rebus purè physicis, est modus tendendi in intentionalibus, quare sicut